

MÉMOIRES
DE
L'ACADÉMIE IMPÉRIALE DES SCIENCES
DE
ST. PÉTERSBOURG.

[Ser. 5]

T O M E III.

AVEC
L'HISTOIRE DE L'ACADÉMIE
POUR LES ANNÉES 1809 ET 1810.



ST. PÉTERSBOURG,
DE L'IMPRIMERIE DE L'ACADÉMIE IMPÉRIALE DES SCIENCES

1 8 1 1.

M A M M A L I A C A P E N S I A,
 RECENSITA ET ILLUSTRATA

A

C. P. THUNBERG.

Conventui exhib. die 10 Aprilis 1811.

Maxima illa, hominibus parum habitata incultaque pars orbis terrestris, quae *Africa* audit, in campis suis vastissimis, montibus, frutetisque plures alit Mammalium species, quae vel adhuc minus nobis cognitae sunt, vel ante paucos annos rectius innotuerunt. *Canis*, *Felis*, *Viverrae* et imprimis *Antilopes* species non modo invicem, sed etiam cum aliis saepe fuerunt confusae; quin et ipse *Camelopardalis* diu dubius fuit, et *Elephas africanus* maximae molis ejusdem cum *Asiatico* speciei diutissime habitus.

Ad illustrandam historiam Mammalium Africes australis, observationes, quae haec concernunt, in itineribus meis per Caput bonae spei institutis collegi, examinavi et in ordinem redegi, ut instar Faunae remotissimi hujus promontorii cum Orbe Erudito communicari possent. Dum miratus mognopere fui, neminem huc usque vel *Floram*

capensem aequè amplam, ac ab aliis regionibus diversam, vel *Faunam* capensem, admirandis animalium speciebus divitem divulgasse; credidi, non opus fore operatum, vel omne oleum deperditum, si relatione brevi et descriptionibus circumscriptis, quae mihi innotuerunt Mammalium species, publici juris facerem, eorumque characteres, habitacula, vivendi rationem, cetera, quantum mihi explorare licuit, proponerem.

Ultra quinquaginta species Quadrupedum viviparorum heic inveni, quas inter plures sunt huic regioni propriae, ut *Myrmecophaga capensis*; *Canis mesomelus*; *Felis capensis*; *Viverra felina, grisea et tigrina*; *Meles mellivora*; *Hyrax capensis*; *Arctomys capensis, maritima et vigil*; *Lepus capensis*; *Dipus caffer*; *Sciurus capensis*; *Antilope leucophoea, orcotragus, eleotragus, strepsiceros, sylvatita, maculata*; *Capreolus campestris, nicticans et Melanotis*; *Ovis capensis*; *Bos caffer et Gnu*; *Equus quagga*; *Sus aethiopicus*. Enumerant Auctores et alias, sed a me non visas, ut *Viverram Caffram et Zenik*, atque murem *lineatum*. Nec desunt animalia mansueta, vel ab Europaeis huc delata, ut *Canis familiaris*, *Felis catus*, mus *musculus et rattus*, *Bos taurus*, *Sus scrofa*, *Equus caballus* et *Capra hircus*.

1. *Simia Sphinx*, ab incolis *Babian* dictus, montes imprimis inhabitat inque rimis rupium sese occultat. Animal, magnitudine Canis, crudele est, dentibus fortiter se defendit, dum fuga salutem quaerere non liceat. Canis unus vel alter adultum in campis non capit, et in summis montium cacuminibus saepe sclopeti ictus contemnit. Homines interdum, montes adscendentes, jactis lapidibus adgreditur, et ni bombardis armati fuerint, repellit. Junior captus parum mansuescit, arbores celerrime adscendit et non raro furiosus evadit. Eradicat bulbos *Ixiarum*, *Gla-diolorum*, *Iridum*, quos edit. In hortis colonorum fructus noctu aufert gregarius et ad montium usque cacumina transportat. *Buffon*. Edit. *Allamandi* 4°. Tom. 14. T. 13 et 14.

2. *Simia Sabaea* locis sylvestribus rarius occurrit.

3. *Myrmecophaga capensis*, *Aard-varke*, sive sus terrestris colonis dictus, in campis cuniculos fodit, ubi die latet, noctu exiens nutrimentum quaesiturus. Junioris Suis magnitudinem attingit, Porco setis cinereis et rostro producto valde similis. Vivit *Formicis* et *Termitibus*. Noctu canibus venatur ferroque necatur. Caro, lumborum praecipue, a colonis editur, salita et fumata. *Buffonii* Hist. Natur. Mammal. Editio *Allamandi* in 4°. Tom. 5. Tab. II.

4. *Canis aureus*, *wilde Hund* dictus, gregatim in campis vesperi et noctu animalia fera et mansueta callidissime venatur, prae aliis minores Antilopes species, Struthiones et oves colonorum. Praedam occisam Leo non raro sibi tribuere solet, post prandium, quod superest, venatorum gregi relinquens. Majoris canis statura cognoscitur sono latratui simili et corpore lutescente nigroque maculato. Callidissimum animal rarius plumbo occiditur.

5. *Canis mesomelus*, Vulpe minor, magnitudine circiter Lagopi, in tota colonia communis ubique invenitur, licet pelles Europaeis parum aestimentur. Dorso griseo pilis albis nigrisque intermixtis facile distinguitur; et haec pars dorsalis a reliquo corpore testaceo diversa Hottentottis valde expetita pro bursa priapi inservire solet.

6. *Hyaena maculata* appellatur plerumque *Tyger-Wolf* et ubique fere occurrit, etiam simpliciter *Wolff* dicta, cum Lupò Europaeo tamen non confundenda. Nonnullis in locis maritimis *Strand-Wolff* audit et audacissimum dicitur animal. Circa solis occasum exspatiatur, clamores variorum animalium imitans, praedam quaesitura. Adgreditur Equos, Tauros et alia animalia. Etiam cadavera effodere perhibetur. Occiditur pulvere capsularum *Taxicodendri*, nucis vomicae instar, cadaveri immixto;

etiam capitur intra muros argillaceos cum janua suspensa, ad attactum cadaveris facillime decidente.

7. *Felis Leo* in ipsa colonia Hollandorum jam rarior, in interioribus regionibus vulgatissimus. Mas cum femina et pullis noctu vagatur, majoribus animalibus terribilis hostis. In locis depressis desertorum Africes, ubi aquam quaerunt Boves, Equi, Zebrae et numerosi Antilopes, occultatus horum animalium grandiorum dorsum insilit, dentibus et unguibus lacerat atque occidit. Neque, dum fames urget, homini pareit, Hottentotum tamen Europaeo semper praefereus. Gregibus colonorum bovilibus in remotis provinciis Leo fatalis semper est hostis; bovem maximum facillime necat, cumque praeda dorso imposita auferit. Facile tamen armis igniariis audax et intrepidum animal eradicatur. Immense timent Hottentotti Leonem, uti et omnia atque singula animalia, prae metu membris omnibus trementia. Caro quandoque Hottentottis sapit, cute rarissime usitata.

8. *Felis pardus*, elegans certe bestia, in australi Africa valde vulgaris, tam in campis arenosis et fructuosis, quam in montibus, interdum gregaria. Magnitudo majoris canis. Junior magis albidus cum ocellis — dorsalibus paucioribus; adultior flavescens cum ocellis — compositis ex maculis nigris. Minores saltu adgreditur Anti-

lopes, Lepores, oves colonorum et quoque homines, licet nullum ex illo occisum vidi vel audivi. Pelles Europaeis venales in Europa vario usui et ornamento inserviunt, Caffris pro vestimento. *Buffon. ed. Allamand. Tom. 9. Tab. 11. et 12.*

9. *Felis jubata*, pardo multo rarior, cinerei coloris cum maculis nigris simplicibus et juba colli humerorumque suberecta, ejusdem fere magnitudinis. Incolis parum nota, uti et in Musaeis rarius occurrens.

10. *Felis capensis* prioribus paulo minor et testacea, dignoscenda lineis dorsalibus et maculis simplicibus lateralibus albis. Incolis *Tygerboschkatt*, id est, Tigris sylvestris appellatur et hinc inde occurrit.

11. *Felis Chaus*, Sibiriae alias incola, etiam Caput bonae spei inhabitare a me inventa est, tota cinerea cum fasciis dorsalibus. Cauda basi atro-maculata, versus apicem annulos paucos habet nigros, ipso apice semper nigro. Optime tamen distinguitur auriculis suis extus laevibus ferrugineis. Colonis dicitur *wilde Katt*, et primo intuitu Cato domestico adeo similis videtur, ut pro eadem specie facile habeatur; duplo tamen major est. Femina minus fasciata deprehenditur.

12. *Felis Caracal*, nomine *Roode Katt* insignita, unicolor est, uti Leo, sed magnitudine Canis mediocris,

auriculis uti in Lynce fasciculo piloso nigro erecto instructis, et caudae quoque apice nigro. Parum valet cutis, quae interdum a colonis, ad sudorem excitandum, membris arthriticis imponi solet. *Allamand. T. 19. T. 24.*

13. *Viverra tetradactyla*, *Surikattje* appellata Hollandis, locis montosis occurrit, et nucibus amygdalisque delectatur. Mansuescit, et ni bene observatur, vestes aliaque utensilia lacerando deperdit, Sciuro vulgari parum major. Palmae tetradactylae, plantae pentadactylae unguibus brevibus obtusis. Supra ferruginea pilis albis interspersis et fasciis fuscis. Abdomen et pedes rufescentes. Cauda corpore sesquilingior, ferruginea apice nigro. Habitat in antris, die dormit, ad occasum solis exit. Animal minus bene notum, forsan a *V. tetradactyla*, forsan etiam a *Viverris* separandum, ulteriori examini subjici meretur.

14. *Viverra ichneumon*, uti in Aegypto, ita et heic occurrit, brunnea pilis albo-annulatis, catoque domestico sesquilingior, paulo angustior, caninis dentibus validis et unguibus curvis acutis armata.

15. *Viverra grisea*, videtur esse *Nems*, depicta Tom. 4. Tab. 26. in *Buffoni* Editione Amstelodamensi quarto, ab illustri Professore *Allamand*, et forsan eadem esse potest cum *Linnaei Viverra Caffra* in *Syst. Gmelin. T. 1. p. 85.* magnitudine *Viverrae ichneumonis*, tota grisea

• pilis longis albo nigroque annulatis. Cauda longitudine corporis apice nigra pilis longioribus.

16. *Viverra barbara*, *Linnaei* *Mustela barbara*, ultra ulnam longa; cauda cylindrica, obtusa, corpore brevior, nigra. Pollices non remoti. Tota supra infraque nigra pedibus atris, capite colloque cinereis maculaque colli alba triloba.

17. *Viverra tigrina*, interdum *Moschus-Katt* dicta, longitudine Cati, sed angustior. Sordide cinerea maculis atris sparsis et cauda nigro-annulata. Moschum vehementissime olet, etiam pellis detracta, sic ut neque ab hominibus ferri possit, neque a canibus. Satis vulgaris.

18. *Viverra felina*, pulcherrima et aligissima species nova, a memet in Actis Holmensibus descripta et depicta fuit. Valde similis *Viverrae tigrinae*, sed albidior, major et longe aliter nigromaculata.

19. *Viverra Zorilla*, pulcherrima facile dignoscitur corpore toto nigro, maculis albis elongatis vario. Non adeo raro occurrit, et difficile occiditur ob velocitatem admirandam, qua aufugere solet haec etiam in America habitans bestiola. *Allamand.* Tom. 13. Tab. 42.

20. *Meles mellivora*, multum a Zoologis confusa, eadem est cum *Linnaei Viverra capensi*, *Syst. Nat. Gmelin.* Tom. I. p. 89. et *Viverra mellivora* *ibid.* pag. 91. nec non *Sparrmanni Ratel*, descripto in Actis Stockholmens.

1777. Tab. 4. fig. 3. p. 147. Inhabitat interiores Capitis bonae spei regiones, victitans imprimis melle apum, quarum colonias sollicite quaerit, ope Cuculi *indicatoris* indagat et spoliat. Animal toto habitu Meli *europaeo* simile, licet minus, tegitur potius setis rigidis, quam pilis, et unguibus longis, robustis, subtus cavis armatur. Supra a capite ad caudam macula lata, magna, cinereo - albida extenditur; subtus atra uti et artus, linea utrinque laterali albida. Cauda vix pedum posteriorum longitudine. Hottentottis *Ratel* dicitur, colonis europaeis vero *Honing-Freter*.

21. *Talpa asiatica*, quae *Blinde Moll* dicitur, saepe hortos Europaeorum in urbe inhabitat, cuniculos effodit, multumque damni adfert ac culta destruit. Talpa europaea multo minor est elegantissima haec species, omnibus Iridis coloribus splendidissima.

22. *Hyrax capensis* frequenter rimas montium inhabitans, *Dass* et *Klipp - Dass* nominatur. Cati fere magnitudine totus griseo - ferrugineus et ecaudatus est. Caro fusca, sicca, parum sapida, Europaeis tamen non nunquam in cibum cedit.

23. *Arctomys maritimus*, *Linnaei Mus maritimus* in Syst. *Gmelin*. Tom. I. p. 140, inhabitat amplissimos, extra urbem Cap, campos maritimos et sabulosos, ubi fossas frequentes effodit, ambulatoribus et imprimis equitantibus tae-

diosissimas. Duplicem inveni varietatem, alteram totam niveam, *witte Moll* dictam, majorem Cati dimidia magnitudine, in Itineris mei Tomo primo sub titulo Marmotae africanae depictam; alteram testaceam totam, paulo majorem. — Cauda pedibus brevior. Ungues tetradactyli, acuti. Dentes longi, exstantes, validi; primores superiores sulco exarati.

24. *Arctomys capensis*, *Bless-Moll* appellatus, multoties minor est *A. maritimo*, magnitudine circiter Ratti, cinereo - fuscus, maculis tribus supra in capite albis. Habitat in dunis sabulosis et Europaeorum hortis, quibus multum adfert damni; a *Linnaeo* in *System. Gmelin.* Tom. I. p. 140. ad mures, sub titulo muris capensis, minus recte refertur, cauda brevissima instructa. *Allamand.* Tom. 5. Tab. 9. et Tom. 4. Tab. 28.

25. *Arctomys vigil*, nova species. In desertis siccissimis, Carro dictis, hunc inveni imprimis numerosum, ubi in terra argillacea cuniculos, orientem versus apertos et oblique descendentes construit. Sole oriente claustra dimidia exit gregarius et difficile plumbo occiditur, ad visum ignem ocyssime se retrahens. Magnitudine Ratti rufescens, lateribus subtusque griseus. Cauda corpore triplo brevior, setosa. Dentes bini primores utrinque, truncati, cuneati seu basi crassiores; superiores extus sulco exarati:

canini nulli: molares plures, truncati. Palmae tetradactylae; plantae pentadactylae, unguiculatae.

26. *Lepus cuniculus* in insula, quam appellant *Tareneyland* vulgatissimus et jam saltem spontaneus obvenit; certe autem asseverare non possum, an ante longius retro tempus ex Europa allatus, heic indigenus factus fuerit. Nullibi alias in hisce regionibus illum inveni.

27. *Lepus capensis* in depressis sabulosis campis extra urbem Cap et alibi occurrit frequenter et copiose, Lepori timido similis, sed cauda pedibusque rufis distinctus. Adeo heic contemnitur, ut raio occidatur, fereque nunquam caro comedatur.

28. *Dipus caffer* vocatur *Berg-Haas*, cum locis montosis et in rimis montium habitet seseque occultet; etiam *Spring-Haas* dicitur ob pedes posticos longissimos, quibus saltus admirandos aufugiens instituit. Leporis timidi fere magnitudine, cauda vulpis ornatur. *Allamand.* T. 5. T. 39. *Sparman.* Act. Holmens. 1778. p. 119.

29. *Sciurus capensis*, ignota ante species. Supra dorso lateribusque flavescens, subtus albus. Cauda albo-flavescens. Pili caudae longi, molles; corporis vero duriores, sic ut, dum baculo castigatur, sonus edatur fere ut in *Hystrice*. Femina minor, magis grisea. Agilis ui

Sciurus vulgaris. Ab Hottentottis in regione Namaquas, ubi habitat, dicitur *Aguimp*.

30. *Hystrix cristata* sive *Steekel - Varken* incolarum, in hisce regionibus frequens obvenire solet, saepeque ab Europaeis venata. Sub terra in fossis suis die tranquilla dormit, noctu exiens cibum quaesitura. In hortis olera varia, Brassicam et similia edit, atque radice *Callae aethiopicae* multum delectatur. Caro edulis Europaeis. Noctu canibus venatur et lanceola ferrea trucidatur. Nunquam audivi, quod hisce in terris, uti in Indiis, lapides bezaordici intra viscera fuerint inventi.

31. *Camelopardalis Giraffa*, speciosissima forsan inter Mammalia, altissime caput suum collo longissimo omnium, velut *Struthio* inter Aves, stipatum extollit. A promontorio australi septentrionem versus, in regionibus valde remotis Namaquensibus habitare solet *Camelopardalis*, victitans vegetabilibus, gramine, frondibus, etiam *Mimosis spinosis*; atque, uti pecora reliqua, ruminat. Caput ore parvo, oculisque magnis vividis. Cornua ovo fere similia, erecta, truncata, apice pilosa, respectu animalis parva, sexpollicaria. Lingua acuta, scabra. Dentes primores inferiores octo; molares sex. Collum longissimum erectum. Juba dorsalis. Pectus latius, gressu non inamoeno vel claudicante. Genu absque callo. Ungulae fissae. Longitudo

18 pedum, altitudo antice 17, postice 9. Color subaurantiacus, maris saturatior, feminae pallidior cum maculis fuscis sparsis. Calcitrat uti Equus. Mammae quatuor feminae pullum unicum parientis. Circa annum 1761 de hocce animali, veteribus noto, certiore habuimus cognitionem et postea pluries visum fuit, occisum atque pelles ejus in Europam transmissae.

In campis suis, montibus et sylvulis Africa australis verosimiliter plures alit Antilopes species, quam quidem ulla alia regio. Hae quasi mediae sunt inter Capras et Cervos, similes illis cornibus suis, his pilositate breviori. In septentrionali Africa sequentes inventae fuerunt species, scilicet *Lervia*, *Dama*, *redunca*, *Kevella*, *Corinna*, *bubalis*, *scripta*, *grimmia*, *pygmaea* et *cervicapra*. In promontorio australi a memet adnotatae fuerunt insequentes:

32. *Antilope Oreotragus*, a colonis *Klipp-Springer*, ab Hottentottis *Kainsi* dicta. Semper in summis montibus ad ultima usque cacumina confugit, in monte tabulari prope Cap, in Namaquas et alibi, raro vel canibus capienda, vel plumbo occidenda. Grisea tota est pilis fragilibus et facile deciduis. Cornua recta, erecta, nigra, tertiam partem annulata. Ungulae rotundatae. Pardis venatur. *Allamand. T. 5. T. 29.*

33. *Antilope Capreolus*, *Rhebock* vocata, tota supra grisea instar Leporis, pilis albis et nigris mixtis. Pectus, abdomen femoraque intus atque cauda apice alba. Aures lanceolatae, erectae, longitudine capitis. Cauda brevis, erecta sub cursu, supra grisea, subtus alba, longitudine fere femorum. Cornua maris recta, subulata, basi annulata, plus quam palmaria: feminae nulla. Confugit semper ad montes. Magnitudo vituli. Habitat in campis sabulosis prope Cap, in *Lange Kloof* et alibi inter frutices, uti et in regionibus circum *Piket - Berg*.

34. *Antilope nictitans*, *Duiker*, inter frutices in campis et dunis extra Cap vulgaris, tota brunnea, tres pedes longa, duos cum dimidio alta. Mari cornua sunt recta, nigra, fere parallela apicibus extrorsum flexis; feminae nulla. Cauda quinque pollices longa, aures septem. Sinus lacrymalis sub oculis exstans. Hortis colonorum valde noxia.

35. *Antilope melanotis*, *Greis - Bock* vocata ab Hollandis, tota grisea est, sive pallide brunnea pilis argenteis intermixtis. Longitudo duorum pedum, novem pollicum; altitudo pedis unius cum novem pollicibus. Sinus lacrymalis perspicuus. Cornua feminae nulla; mari recta, nigra, laevia et acuta, quatuor pollices longa. Hortis et vinetis multum adferre solet damni.

36. *Antilope Campestris*, Steen - Bock, cum prioribus vulgaris inhabitat campos inter urbem et catenam montium, sabulosos, fructiculosos. Parva est, supra rufa, subtus paulo pallidior. Cornua hujus subulata sunt, recta, basi digitum crassa absque annulis, suberecta, fusca, palmaria. Linea frontalis fusca. Femina inermis. Caro sapida, raro tamen in usum venit. Haec quoque species hortis europaeorum noxia. Verosimiliter cum *Antilope Grimmia* conjungi non potest. Ab auctoribus multum fuit confusa, et varie admodum descripta, ut videre licet in editione *Allamandi*, Supplement. 4. p. 43. et Suppl. 5. p. 119. *Grimmia* vera in Guinea habitat, et forsan non in Capite bonae spei, ubi et *campestris*, *nictitans* et *melanotis* ut distinctae species respiciendae sunt.

37. *Antilope Oryx*, Gems - Bock speciosa est, uti *Cervus Elaphus*, cornibus rectis, longissimis, attenuatis, acutis, deorsum versis, longitudine dimidia animalis, quibus morose se defendit. Caro sapida. In campis versus septentrionem ab urbe extensis habitat. *Allamand.* T. 4. Tab. 42.

38. *Antilope leucophaea*, *Blauwe - Bock*, habitat versus orientem, in campis montosis inter Hottentots-Holland et Swellendam, parum gregaria et plerumque rarior. Cornua utrique sexui erecta, posteriora versus arcuata, mul-

tum annulata. Tota coerulescens e pilis albis nigrisque mixtis. Litura ante oculos alba. Cauda apice alba, comosa, brevis. — Caro sapida estimatur. *Allamand. T. 4. T. 63.*

39. *Antilope Orcas, Eland* dicta ob magnitudinem insignem, equi aemulantem, cinerea: linea per medium dorsum et extremis pedum nigricantibus. Cornua sexus utriusque recta, basi oblique parce annulata, pedalia. Porus sebiferus nullus. Imprimis loca montosa amat. Singularis est jugulo suo pendulo. Inter delicatiores numeratur et caro et praeprimis lingua. Cornua fumando tabaco Hottentottis inserviunt. *Allamand. Tom. 5. T. 7. Sparrman act. Holm. 1779. p. 155. c. Tab.*

40. *Antilope Eleotragus, Ritbock* sive *Rit - Rhebock* dicta, junior magis rufescit, adulta imprimis mas, magis grisea, absque linea laterali. Cornua spithamaea, ad medium usque annulata, antrorsum arcuata, acuta. Auriculae longae, uti et cauda longiuscula. Pectus antice jubatum. Femina inermis. Saepe latet in gramine alteriorum rivorum, unde nomen a colonis impositum; vid. *Buffon* ed. *Allamand. Suppl. 5. p. 34. T. 13 et 14.*

41. *Antilope Monticola, Ourebi* ab Hottentottis appellata, in Actis novis Holmensibus a memet nuper descripta et depicta fuit. Leporis magnitudine, tota brunnea,

linea frontali duplici et cornibus maris bipollicaribus, conicis, altero latere tantum annulatis. Femina inermis, cujus figura videatur apud *Allamand.* T. 5. T. 12. Etiam in Guinea haec species fuit inventa a D. *Afzelio*.

42. *Antilope Sylvatica*, *Bosch - Bock*, colore rufa seu brunnea, maculis lumborum albis. Occupat plerumque sylvulas et difficulter plumbo occiditur. *Allamand.* Tom. 5. Tab. 15. *Sparrman* Act. Holmens. 1780. pag. 197. c. Tab.

43. *Antilope Maculata*, *Bonte - Bock*, rufa maculis albis. Loca amat elevata et aprica circum Swellendam et alibi. Magnitudo Vituli majoris. Cornua erecta, sensim attenuata, apice incurvata, nigra, parum oblique annulata, pedalia. Caput brunneum, antice album maculaque oblonga infra cornua alba. Aures canescentes, longitudine dimidia capitis. Dorsum canescenti - brunneum; latera fusco - brunnea. Pectus, abdomen, femora dimidia intus, tibiae, cauda basi anusque supra caudam alba. Femora brunnea, extus et prope tibiae intus. Cauda nigra, setosa, longitudine femorum. In itineris mei parte 2. p. 50. scripta dicta fuit. *Allamand.* T. 5. T. 16.

44. *Antilope pygarga*, cui nomen *Spring - Bock* impositum fuit, gregibus majoribus saepe ambulat in campis apricis et desertis, maxime in Namaquias regionibus

versus septentrionem, e quibus certis interjectis annis, per multa millia gregatim, versus promontorium australe emigrare solet. Edit persecuta saltus 15, usque 25 pedes in altum, dum simul macula alba supra caudam magnopere in latitudinem extenditur. Adultam canis vix ullus sequi valet. Venatur a Fele Pardo, Leone, Hyaena, aliis. Caro sapida. Pellis pro sacculis conficiendis inservit. Magnitudine ovis. Cornua subulata, nigra, basi oblique annulata, curvata in formam S romani apicibus inflexis, spithamaea. Dorsum rufescens. Pectus et abdomen alba, uti et cauda palmaris. Linea lateralis brunnea. Dorsum a medio ad caudam pilis longis albis deflexis expansilibus et erigendis. Femina aequae cornuta. *Allamand. T. 4. T. 60. Sparrman Act. Holmens. 1780. p. 275. c. Tab.*

45. *Antilope Dorcas, Harte-Beest*, fusco-brunnea, cornubus multum tortis. Gregatim cursitat in campis graminosis apricis interiorum regionum versus orientem. Cutis tenax pro funibus usitata colonis. Venatur plerumque equis; animal mite, quatuor pedes altum, magnitudine equi mediocris. Labium inferius nigrum, ad marginem utrinque fasciculo pilorum nigro notatum. Lineae nigricantes per cervicem et humeros anticos longitudinales. Cauda longiuscula, atra, setis hirta et floccosa, pedalis. Caro sapida, sicca. Cornua spiralia acuta et 20 pollices

longa. *Allamand.* T. 5. T. 25. *Sparrman* Act. Holmens. 1779. p. 151. c. Tab.

46. *Antilope Strepsiceros*, cognomine *Kudu*, equum magnitudine aequat, cornubus spiralibus elegantissima. Inter arbusta plerumque versatur. Caro sicca minus bona censetur. Pellis tenacissima pro curribus trahendis usitata. Cornua erecta, spiralia, carinata, acuta, intus subrugosa, cinerea, laevia, quadripedalia. Femina inermis. Corpus cinereum linea dorsali alba, fasciaeque albae lateraliter decurrentes, plures et magis perspicuae in junioribus. Juba dorsalis. Sub oculis maculae albae. Barba mentalis. Longitudo novem pedum, altitudo quatuor. Facies bilineata. Pectus et pedes albida. *Allamand.* edition. *Buffon.* Tom. 4. Tab. 61.

47. *Ovis aries*: capensis, praecipue cauda sua ponderosa, tota e pinguedine constantè, dignoscitur. Cicurata ubique invenitur, tam apud Hottentottos, quam Europaeos accolat. Cauda saepe 50 libris constat, longa, pendula, deliciosa. Caro hujus ovis nutrimentum vulgatissimum Europaeorum et nautarum. Lana minus expetita, raro usitata. Pelles Hottentottis pro vestimentis inserviunt. In desertis magis pinguescit; nunquam tamen spontaneam vel feram inveni. Edit varia vegetabilia, etiam venenata absque damno, ut teneriora gramina, ramos oleae europaeae

et acris Montinae Euphorbiarumque, Mesembryanthema, atque alios succulentos frutices. Testiculi ovium assati ab Europaeis comeduntur.

48. *Bos Caffer* sine dubio maximus et robustissimus in hoc genere. Cornubus basi latissimis et crassissimis primo intuitu a congeneribus diversus judicatur. Inhabitat orientalem Africae australis plagam et loca graminosa cum sylvis mixta. — Ab incolis *wilde Buffel* salutatur saepiusque sclopetis occiditur. Caro sapida, tam ab indigenis, quam ab incolis europaeis multum expetita, vel recens, vel fumo indurata. Pelles mercatoribus venales sunt pro corio parando et colonis in remotioribus plagis pro calceis, *Veld-schoenen* dictis. Facies, mentum, collum longioribus pilis ornantur. Corpus fuscum, parum villosum. Caudae basis nuda, ceterum pilosa. Centum, usque plura centena gregatim versus vesperam umbras relinquunt pastum quaesitura; die in sylvis latent. Vacca 12 menses gravida perhibetur. Currit velociter, et nunquam rite cicuratur. A leone non raro captus necatur. Ab Hottentottis in magnis foveis, telis et lanceis ferreis occiditur. Plura recensentur in itineris mei volumine secundo, pag. 94. inque Actis Holmensibus, 1779. pag. 79. c. Tab.

49. *Bos Gnu*, priori longe rarior, minor et maxime singularis est, cornibus basi dilatatis, antrorsum recurvatis;

barba mentali jugulari et pectorali; juba colli crecta; cauda equina; poro cerifero; pedibus gracilibus et villo brevissimo. Altitudo quatuor circiter pedum, longitudo quatuor cum dimidio. Currit velocissime et calcitrat, atque cornubus obversis, etiam genubus impositus fortissime se defendit. Interiores et remotissimas tantum regiones, plerumque solitarias inhabitat rarum hoc animal. Secundum meum exemplar descriptus et depictus a Prof. *Sparrman* in Actis Holmensibus 1779. p. 75. c. Tab. *Allam.* T. 15. T. 14.

50. *Bos indicus* a ceteris optime dignoscitur tuberculo humerali, et a nonnullis indigenis Hottentottis Caffrisque cicuratus, nunquam ferus a me visus. *Allamand.* T. 11. T. 42.

51. *Equus Zebra*, gregarius campos interiores occupat, *wilde Paard* vocatus et elegantissime pictus. — Cicurari nescius, ferox, fortis, celer, calcitrando et mordendo se defendit. Praeda tamen leonis non raro evadit. *Allamand.* T. 12. T. 1. 2. 3.

52. *Equus Quagga*, pro femina Zebrae antea diu habitus, cum Zebra multa habet communia; minus tamen picta est et minor. Rarius occurrit minoribus gregibus, a Zebra semper separatis. *Allamand.* T. 5. T. 6.

53. *Sus africanus*, *wilde Varken*, hinc inde occurrit, rarius tamen a me visus.

54. *Sus aethiopicus*, horrendum animal et crudele rostro latissimo, interiores provincias tantum inhabitat. Ab illustriss. Zoologo Dr. Consiliar. et Equit. *Pallas* optime descriptus et icone illustratus. *Allamand.* T. 15. T. 1.

55. *Rhinoceros bicornis*, *Ronnoster* appellatus incolis, versus orientalem et occidentalem plagam, plerumque solitarius vagans. Corpus fuscum, ponderosum, septem pedes altum, duodecim longum. Cornu cartilagini naris adnatum, anterius saepe 20 pollices attingit vel ultra, conicum; alterum triplo brevius. — Extra coloniam habitat locis incultis fruticulosus. Cutis glabra plumbum permittit. Oculi capitis respectu parvi, profundi. Iratus cornu terram arat. Calcitrat, urinam mittit et celerrime currit. Caro sapidior Elephantina, Hippopotami deterior. Cutis pro baculis praeparatur, crassitie pollicaris, subdiaphana. Ramis arborum, prae aliis *Stoebes rhinocerotis* nutritur. Pedes trilobati. Die quiescit, vesperi pastum quaerit. Odor fortis. *Allamand.* Tom. 5. Tab. 5. *Sparrman* Act. Holmens. 1778. p. 303. c. Tab.

56. *Elephas africanus* molaribus dissimilibus ab *asiatico* differt, quodque hic nunquam cicuratur. Grega-

tim vesperi exit cibum e gramine altiori arborumque ramis quaesiturus. Propius urbem antea magna copia fuit inventus, jam vero vel occisus, vel ad remotiores regiones fugatus. Altitudo 12 pedum. Pedes quinquelobi. Femina 18 menses gravida unicum parit pullum. Caveis magnis effossis capitur plumboque occiditur ob dentes caninos pretiosos et variis utensilibus inservientes. *Allamand.* T. 4. T. 55. Tom. 11. Tab. 1. Tom. 5. Tab. 21.

57. *Hippopotamus amphibius* e maximis Mammalibus terrestribus, die latet in fossis rivorum, noctu exiens cibum sumiturus e gramine et frondibus. Caput grande auriculis acutis parvis. Juxta labia fasciculi aliquot pilosi. Corpus subnudum. Os amplum. Majores rivos ad ostia maris, in regionibus orientalibus adhuc inhabitat, e colonia ipsa omnino fugatus. Cutis crassa baculis conficiendis inservit. Caro consumitur ab Hottentotis, pinguedo autem imprimis in deliciis habetur. Longitudo 17 pedum, altitudo 7. Natat optime, adscendit ad superficiem aquae, ut respiret. Occiditur plumbo et capitur in magnis fossis. Dentes validi albissimi vario usui inserviunt. *Allamand.* T. 12. T. 3. Tom. 5. T. 1 et 2. *Sparman Act. Holmens.* 1778. p. 329. c. Tab.

58. *Phoca Antarctica* mare australe inhabitat.

59. *Phoca Leonina*, *Zee-Leuw* sive Leonis marini nomine insignita, ad littora quandoque portus capensis, Taffelbay dicti, rejecta fuit mortua.

De cetero phocarum species heic, uti alibi fere ubique multum obscurae, nec satis examinatae sunt. Plumbo quotannis occiditur species quaedam in insula Robben-Eyland, in Saldanha-Bay et alibi. In Robbe-Berg speciem vidi palmis et plantis pentadactylis unguiculatis, cui penis erat osseus, osse antice obtuso bifido.

Trichechus manatus et *dugon*, uti et *Delphinus* quidam mare, hocce promontorium ambiens, inhabitare ab auctoribus perhibentur; mihi vero non satis perspecta sunt, vel examinata haec animalia oceanica.

Ex hisce jam enumeratis Mammalium speciebus 59, praeter capita *Myrmecophagae capensis*, Hippopotami *amphibii* et Bovis *caffri*, species 33 inveniuntur in Musaeo Upsaliensi, quarum pelles in Africa collectas in Europam attuli, quaeque jam praeparatae et farctae, ut a studiosa juventute academica rite et facile cognoscantur, in Lectionibus publicis ostenduntur, scilicet: *Simia sphinx* ♂ et ♀, *sabaea*; *Canis aureus* et *mesomelus*; *Felis Leo* ♂ et ♀, *pardus*, *jubata*, *capensis*, *chaus* ♂ et ♀, *Caracal*; *Viverra ichneumon*, *grisea*, *barbara*, *tigrina*, *felina*, *Zorilla*; *Meles mellivora*; *Hyrax capensis*; *Arctomys maritimus*, *capensis*;

Hystrix cristata; Antilope *Oryx*, *leucophaea*, *Oreas*, *Elcotragus* ♂, *monticola* ♂, *sylvatica*, *maculata*, *pygarga*, *dorcacas*, *Strepsiceros* cum pullo; *Bos gnu*; *Equus Zebra* cum pullo.

Reliquas species, quas videre et examini subicere licuit, vel obtinere non potui, ob raritatem, ut *Giraffam*; vel ob ingentem molem non adferre, ut *Hippopotamum*, *Bovem Caffrum*, *Elephantem*, *Suem* aethiopicum, *Rhinocerotem* et *Quaggam*; vel pelles reliquarum in *Hollandiam* transmisi.

Narrat quidem illustris peregrinator, Dominus *Vaillant*, se in regionibus dissitis Namaquensibus vidisse Equi quandam speciem, citissime aufugientem; sed cum valde sit incertum, utrum haec fuerit vel *Equus Hemionus*, vel species forsitan nova, nihil certi de illa determinari potest.

Neque mihi contigit videre *Murem pumilionem*, quem memorat Dominus Professor *Sparman*, quemque descripsit et delineavit in *Actis novis Stockholmensibus*, 1884. p. 237. Tab. 6. Paucioribus suis lineis dorsalibus albis, uti et magnitudine minori a *Mure barbaro* omnino diversus videtur.

